

Virgine vsque ad mortem obtenebratos illuminare, & viam vitæ ostendere non cessauit. Hoc primo factò, dein de verbo simul, & factò egit, non isto, vel illo, sed quolibet. Quicquid enim operatus est in carne, quicquid locutus est doctrina nobis est, & instructio salutaris, secundum Grego. libr. 1. dial. capitu. nono. Primum ergo opere docuit, dum natus infans non lingua (cuius vsus infantibus non congruit) sed operibus clamauit. De quo anno præterito multa in sermone de natiuitate domini sub hoc themate. Hoc vobis signum recolo me dixisse. Deinde & verbis, non solum illis, quibus publicè prædicauit, quomodo multi prædicatorum in ambone quidem diuina loquuntur, sed quæ ibi ædificauerunt sermonum suorum securitate, quæ conuersando hominibus loquuntur, totum destruant, & bilingues sibiipsis in prædicatione, & extra contrarij inueniuntur, contra illud Iaco. tertio. Nunquid fons de eodem foramine emanat dulcem, & amarum aquam &c? Non ita dominus Iesus, sed omnibus verbis quæcumque protulit, prædicauit, & docuit, siue in aperto, siue clam prolatis, multis, vel paucis. Ideò ait apóstolus.

Quæ dico in tenebris, id est occultè, dicite in lumine, & quod in aure au ditis prædicare super tecta. Matthæi. decimo. Quæ eum ita se habeant, omnia Christi verba summa sunt veneratione acceptanda, ac studio diligenti intelligenda, ac memoriæ commendanda. Non enim potest Iesus Christus saluator, ac medicus omnium nisi salutaria loqui. Quod si verum est de omnibus, quanto magis de primo siue sermonum suorum, principio? Principia enim secundum philosophum 1. Phys. & si parua quantitate, maxima tamen sunt virtute. Primum ergo verbum bonum, & optimum, quod os diuinum verbum, & sapientia patris, scriptura pro dente erudicauit, ipsum est, quod præmanibus habemus. Nesciebatis quod in his, quæ patris mei sunt oportet me

esse. Quod vt intelligere mereamur, at tentos nos esse oportet, & deuotos, orates vt qui protulit, ac scribi constituit, intellectum etiam cordibus nostris infundat, intercessione, & meritis eius, de qua assumere dignatus est, quo loqueretur, Virgine Maria, quam saluantes dicamus: Aue gratia plena. Primum recitabitur euangelium. Secundo declarabitur thematis verbum. Euangelium. Cum factus esset Iesus annorum duodecim &c.

Nesciebatis quæ in his &c. Nostis quia disciplina quædam est communis omnium discipulorum, atque vltima in schola Christi aduertere, ac vltimè totum sermo nis conclusu diligentiori solent consideratione ponderari, & prolatione magis congrua maturari. Non minus in schola Christi, cuius & si omnia verba velut ab infinita sapientia, ac veritate infallibili manantia sunt omni perfectione plenissima, principium tamen quod celestè adoratus est doctrinam, proculdubio sententijs salutaribus prænantissimum est. Sicut enim primum est secundum narrationem euangelij, ita primum, quæ principale salutis nostræ fundamentum continet & contra insidiantium dolos scuto, & pñidiu salutare. Et ideò à nobis auidè consideradū, & cautius est custodiendū.

Doctrina fundamentalis, quam continet, hæc est. Executio diuina voluntatis tanquam mandatoris celestis, & summi patris, est rebus, & negotijs omnibus præponenda. Quod est dictum. Nichil sibi ipsi, aut cuiuslibet creature impendendum est cum negligentia rerum diuinatum; hoc est eorum, quibus magis diuinus honor magnificatur. Clarè hoc intelligimus si animaduertimus, quibus dixit. Nesciebatis quæ in his &c. Talibus itaque dixit, quibus nulla creatura præponi debuit, quos super creaturas ceteras rectè meritoque dilexit. Dixit enim hæc matri,